





BIBLIOTHECA

MUSEI

INSTITUTIO

NBS.

CONSTITUTIO

ALEX. VII.

[Faint, illegible text]

1502



45-

C20



CONSTITVTIO

Sanctiss. D. Nostri.

ALEXANDRI PAPAE VII.

*Super regimine Superiorum
Societatis IESV.*

ALEXANDER PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.



DEBITVM Pastoralis officij, quo Ecclesie Catholicae Regimini diuina dispositione praesidemus, erigit, vt paternam dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum Regularium Societatis IESV, quae ab ipsis foundationis suae primordijs in re

A

Chri-



2
Christiana Religio iuuanda, promo-
uendaque Infidelium, & Hæreticorum
conuersione, & horum pertinacia retun-
denda, ac Inuentate litteris, & probis mo-
ribus informanda, Christianique fidelibus in
viam mandatorum Dei dirigendis (adiu-
uante Domino) sedulo semper, & fructuo-
sè laborauit, ac etiam nunc strenuè laborat,
curam peculiari studio gerentes, illa, quæ
prospero, felicique ipsius Societatis regi-
mini, & progressui impedimentum adferre
noscentur, è medio tollamus, & abroge-
mus, sicut magistra rerum experientia
suadet, & nos matura consultatione adhi-
bita ad omnipotentis Dei gloriam salubri-
ter expedire arbitramur.

§. I. Dudum siquidem postquam à
Congregatione quinta generali dictæ So-
cietatis petiit fuerat, vt ipsius Congre-
gationis auctoritate statueretur, nè Supe-
riorum localium eiusdem Societatis offi-
cia ultra triennium continuarentur, Dicta
verò Congregatio decreuerat nullum tem-
pus esse præfigendum, sed seruandum esse
decretum lxxxvij. Congregationis secun-
dæ generalis ipsius Societatis, fel. record.
Paulus Papa Quintus Prædecessor noster,
certò sciens totum sanctæ huius, & nun-
quam satis laudatæ Religionis stabilimen-
tum in viridi Instituti ipsius, & decretorum
super

3
super hoc in generalibus Congregationi-
bus eiusdem Societatis editorum obseruan-
tia consistere, illamque ab impugnationi-
bus, molestijs, & calumnijs vindicare, &
in sui Instituti integritate, puritate, quiete,
& pace conseruare cupiens, per suas sub
plùbo anno Incarnationis Dominicæ 1606.
pridie nonas Septembris super Instituti di-
ctæ Societatis confirmatione emanatas lit-
teras, supradictas, & alia quacumque decre-
ta, statuta, & ordinationes, quæ Institu-
tum, & Societatem huiusmodi, illiusque
gubernandi rationem quomodolibet con-
cernunt, in generalibus Congregationibus
edita confirmauit, ac Præpositum Genera-
lem, ceterosque Superiores Societatis præ-
fata tunc, & pro tempore existentes pater-
nè hortatus est, & monuit, vt obseruationi
dictorum decretorum seridè inuigilarent,
ac eos, qui nouitati studentes aliquid con-
tra liberam, & sine vlla triennij, aut certi
temporis præfixione Superiorum localium
gubernationem per se, vel alios quoscum-
que quauis auctoritate, & dignitate ful-
gentes quomodolibet machinari ausi fuis-
sent, tanquam Perturbatores sui Ordinis, &
rerum nouarum molitores præter pœnas
in supradictis decretis contentas, ipsius
Præpositi pro tempore existentis arbitrio
coercerent, corrigerent, & punirent, &



4
alias prout in eisdem, Pauli Prædecessoris
litteris vberius continetur.

S. 2. Postmodum verò recol. memor.
Innocentius Papa X. etiam Prædecessor
noster per suas in forma Breuis litteras die
prima Ianuarij 1646. expeditas inter alia
statuit, mandauit, præcepit, & ordinauit, vt
omnes, & singuli dictæ Societatis Prouin-
ciales, Visitatores, Præpositi, Rectores,
Superiores locales, & alij Officiales iuris-
dictionem, seu superioritatem habentes
quomodolibet nuncupati, exceptis Magi-
stris Nouitiorum, in eorum respectiue mu-
neribus, superioritatibus, ministerijs, ad-
ministracionibus, & officijs prædictis quo-
modocumque nuncupatis per triennium
duntaxat durare deberent, eique elapso
triennio huiusmodi eo ipso vacarent, & va-
care censerentur, ipsique ad alia quauis
eiusdem Societatis munera superioritates,
ministeria, administraciones, & officia
prædicta quomodolibet nuncupata, etiam
Vice Prouincialis, seu Vice Præpositi; vel
Vice Rectoris nullatenus eligi, seu assumi,
vel deputari valerent, nisi per annum eum
dimidio saltem à fine dicti triennij com-
putadam à prædictis muneribus, superiori-
tatibus, ministerijs, administracionibus, &
officijs cessassent: Decernens præmissa
omnia, & singula in perpetuum inuolabi-
liter

15
liter sub excommunicationis late senten-
tiæ, ac suspensionis à diuinis, priuationis
voci actiue, & passiuæ, ac officiorum quo-
rumlibet, inhabilitatisque ad illa, & quæuis
alia in posterum obtinenda pœnis ipso fa-
cto absque alia declaratione tam per man-
dantes, procurantes, eligentes, & deputan-
tes, quàm recipientes, & exequentes, irre-
missibiliter incurrendis obseruari debere,
neque aduersus illa, seu illorum aliquod
ipsiusque Innocentij Prædecessoris Consti-
tutionem huiusmodi per Præpositum Ge-
neralem pro tempore existentem, aut quæ-
cumque Congregationem etiam Genera-
lem, vel quemlibet alium Superiorem, &
Officialem dictæ Societatis, aut eiusdem
Innocentij, & pro tempore existentis Ro-
mani Pontificis, Sedisque Apostolicæ Nun-
cios, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
les etiam; de latere Legatos, & quosuis
alios quacumque potestate fungentes vn-
quam dispensari, disponi, vel derogari pos-
se, & quacumque dispensationem, dispo-
sitionem, & derogationem aduersus præ-
missa, seu eorum aliquod, eandemque In-
nocentij Prædecessoris Constitutionem per
præfatos, seu ipsorum aliquem pro tempo-
re quomodolibet factam, siue concessam,
nullam prorsus, ac nulliter, & subrepticie,
obrepticieque extortam fore, & esse, ac



6
censeri, & haberi, neminique vllatenus
suffragari debere, & aliàs cum diuersis or-
dinationibus, decretis, clausulis, & dero-
gationibus in eisdem Innocentij Prædeces-
soris litteris plenius contentis.

§. 3. Verùm subindè pro parte dilecti
filij Gosvini Nickel Præpositi Generalis
dictæ Societatis nobis exposito, quod va-
cacio munerum superioritatum, ministe-
riorum, & officiorum prædictorum post
lapsum triennij, necnon eorum, qui illis
functi fuissent ab illis per annum cum di-
midio cessatio, sicut præmittitur, præseri-
pta, maxima bono Societatis prædictæ re-
gimini adferrent incommoda, & tunc quia
ob calamitates, & contagi suspiciones,
quibus nonnullæ Prouinciæ laborabant,
commercium reperiebatur interdictum,
difficilior redderetur vacationis, & cessa-
tionis huiusmodi observatio: Nos suppli-
cationibus eiusdem Gosvini Præpositi Ge-
neralis nomine Nobis super hoc humili-
ter porrectis inclinati supra expressum In-
nocentij Prædecessoris statutum, manda-
tum, præceptum, & ordinationem huius-
modi ad sesquiannum tunc proximum
suspendimus, & successiue dictum sesqui-
annum ad alium sesquiannum, ac iterum
ad triennium respectiue extendimus, & pro-
rogauimus. Præterea cum dictus Gosvini-
nus

7
nus Præpositus Generalis nobis iterum
exponi fecisset, quod Prouinciæ Indiæ So-
cietatis prædictæ litterarum nostrarum in
forma Breuis super suspensione huiusmo-
di primo loco ad sesquiannum, vt præfer-
tur, facta emanatarum beneficio maximè
indigebant, illoque frui vix poterant, quia
priusquam de eisdem litteris nuncius ad
illas partes perferretur, aut iam elapsus,
aut propè finem futurus erat dictus ses-
quiannus: Nos ipsius Gosvini Præpositi
Generalis precibus benignè annuentes,
similem suspensionem statuti, mandati,
præcepti, & ordinationis memorati Inno-
centij Prædecessoris quantum quidem ad
Prouincias, Domos, Collegia, & loca que-
cumque dictæ Societatis in Indijs tam
Orientalibus, quàm Occidentalibus, & ali-
bi extra Europam duntaxat consistentes,
& consistentia attinebat, ad septem annos
à die 14. Nouembris 1656. computandos
fecimus.

§. 4. Ac demùm cum nomine dilecto-
rum filiorum Congregationis generalis,
quæ fuit vndecima eiusdem Societatis no-
bis expositum fuisset, quod ex iam dictis
suspensionibus maximum toti Societati
beneficium, atque emolumentum proue-
nerat, quia verò præfixum in litteris nostris
desuper emanatis tempus tunc incipiebat



8
fluere versus finem, eadem Congregatio
communibus votis, ac nemine penitus di-
screpante denuò opportunè in præmissis à
nobis prouideri plurimum desiderabat.
Nos humilibus ipsius Congregationis ge-
neralis precibus inclinati prædictum In-
nocentij Prædecessoris statutum, manda-
tum, præceptum, & ordinationem, vt mu-
nera, superioritates, administrationes, mi-
nisteria, & officia huiusmodi elapso trien-
nio vacent, & illis functi, nisi postquam
ab eis per sesquiannum cessauerint, ad alia
quæuis munerata, superioritates, ministeria,
administrationes, & officia nullatenus eli-
gi, seu assumi, vel deputari valeant, quan-
tum quidem ad Prouincias, Domos, Col-
legia, & loca in Europa ad aliud quadriennium,
quantum verò ad Prouincias, Do-
mos, Collegia, & loca quæcumque eius-
dem Societatis in Indijs tam Orientalibus
quàm Occidentalibus, & alibi extra Euro-
pam consistentes, & consistentia spectat
respectiue ad alios octo annos denuò sus-
pensionibus, & alias prout in quinis nostris
in simili forma Breuis litteris, primis qui-
dem die 24. Iulij 1656. & alias die 14. No-
uembrijs eiusdem anni, & die 7. Iulij 1657.
& die 28. Augusti 1658. & nouissimis die
7. Desembris 1661, desuper expeditis ple-
niùs continetur.

9
S. 5. Cum autem, sicut accepimus,
S. Ignatius dictæ Societatis Fundator, in
Constitutionibus ipsius Societatis statuerit,
vt penes Præpositum Generalem esset
tam electio omnium Rectorum, quàm
amotio ab eo munere, nullo præfixo tem-
poris spatio, sed solum prout ei conuenien-
tius in Domino videretur. Et licet idem
S. Pater alibi in eisdem Constitutionibus
dixisse reperiatur, Prouinciales ad triennium,
vt plurimum constituendos esse,
statim tamen subiunxerit etiam id tempo-
ris spatium contrahi, & prorogari posse,
quando ad maiorem Dei, & Domini no-
stri gloriam id fore iudicaretur: At verò
pro Rectoribus, vel Superioribus localibus
neque triennium, vt plurimum præscriben-
dum censuerit, sed totam durationem re-
giminis illorum pendere voluerit ab arbi-
trio Præpositi Generalis, prout ad maio-
rem Dei gloriam expedire duceret. De
cessatione autem Superiorum ad sesquian-
num, vel aliud tempus nullibi meminerit,
nec aliquid super ea re statuendum censue-
rit, sed Præpositi Generalis iudicio, sicut
alia multa id in genere reliquerit, & ipse-
met quamdiu vixit, in praxi absque tali
cessatione Societatem gubernauerit: Hæc
que gubernandi ratio à pijs me. Paulo III.
Iulio III. & Gregorio XIII. ac Grego-
rio



rio XIV. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris, qui Gregorius XIV. per suas sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1591. 4. Kal. Iulij expeditas literas, quarum initium est *Ecclesie Catholicae* &c. expressè statuit, vt electio Superiorum quorūcumque esset tota penes Præpositum Generalem iuxta Constitutiones cum potestate illorum facultatem reuocandi, restringendi, vel augendi, & denique eosdem ab officio remouendi, prout in Domino iudicare expedire, approbata, & confirmata, & post obitum memorati Sancti Ignatii in eadem Societate cum ingenti illius bono seruata fuerit.

§. 6. Et licet anno 1594. similis record Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster viue vocis oraculo per bo. me. Franciscum, dum vixit, S. R. E. Cardinalem Tolatum nuncupatum Congregationi quintæ generali memoratæ Societatis significato mandauerit, vt tam Prouinciales, quam Rectores d. Societatis non durarent ultra triennium; nihilominus tamen ipse Clemens Prædecessor morus precibus eiusdem Societatis mitigauerit varijs modis illud suum mandatum, quod postea præfatus Paulus V. Prædecessor per suas literas supradictas decretum Congregationis quintæ generalis supra expressum specificè confirm-

firmans, & præfixionem termini in gubernatione Superiorum localium grauius improbens, ac machinatores contra id decretum tanquam Perturbatores Societatis grauissimis poenis plecti iubens omnino abrogauit.

§. 7. Cumque d. Societas subsequenti tempore vsque ad dictam præfatum Innocentij Prædecessoris Constitutionem præfatum gubernandi modum magno cum fructu, ipsiusque Societatis tranquillitate seruauerit; Edita verò eadem Constitutione plurimis, grauissimisque affecta fuerit incommodis, multoque plura, & grauiora pericula, & inconuenientia subitura extiterit, nisi Nos per suspensiones præfatas illis occurrissemus: Et ex his nostris suspensionibus, seu dispositionibus per septem ferè annos magnæ, & multiplices d. Societati utilitates obuenerint, nec quidpiam alicuius momenti in contrarium nobis exhibitum fuerit, vt proinde è re eiusdem Societatis maximoperè futurum videatur, si eiusdem Innocentij Prædecessoris ordinatio supra dicta penitus abrogetur.

§. 8. Hinc est, quod nos d. Societatis felici directioni, religiosisque progressibus, & incrementis quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, necnon præfatarum nostrarum, ac Gregorij XIV. Pauli
Quint



Quinti, & Innocentij X. aliarumque quarumlibet eorundem, & aliorum Prædecessorum nostrorum præfatorum litterarum, Societatem præfatam concernentium, ac ipsius Societatis Constitutionum, & decretorum generalium illius Congregationum tenores, & datas, aliaque etiam speciali, & individua mentione digna præsentibus plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, eorundemque Pauli III. Iulij III. Gregorij XIII. Gregorij XIV. & Pauli V. Prædecessorum, qui omnes dictas Constitutiones S. Ignatij, & rationem gubernandi in eis expressam laudarunt, approbarunt, & confirmarunt, vestigijs in hærentes: Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, Apostolicæ potestatis plenitudine memorati Innocentij Prædecessoris statutum, mandatum, præceptum, & ordinationem, ut omnes & singuli eiusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales, & alij Officiales iurisdictionem, seu superioritatem habentes quomodolibet nuncupati (exceptis Magistris Novitiorum) in eorum respectu muneribus, superioritatibus, ministerijs, administrationibus, & officijs prædictis quomodocumque nuncupatis per triennium duntaxat durare debeant, eaque elapso triennio hujus-

huiusmodi eo ipso vacent, & vacare censeantur, ipsique ad alia quavis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia præfata quomodolibet nuncupata etiam Vice Provincialia seu Vice Præpositi, vel Vice Rectoris nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valeant, nisi per annum cum dimido saltem à fine d. triennij computandum à prædictis muneribus, superioritatibus, ministerijs, administrationibus, & officijs cessauerint pluries à nobis suspensa, ut præfertur, & quatenus illa concernunt prædictas, eiusdem Innocentij Prædecessoris litteras (firma tamen, & illæsa, ac in suo robore in reliquis omnibus & singulis remanente earundem Innocentij Prædecessoris litterarum dispositione.) Tenore præsentium perpetuò reuocamus, abrogamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus.

§. 9. Decernentes easdem præsentis litteras etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad illa vocati, citati, & auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex alia quacumque causa, occasione, prætextu, & capite etiam in corpore iuris clauso nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio



14
 vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse
 habentium consensus, alioquè quolibet etiã
 substanciali, & individuum expressionem,
 requirente defectu notari, impugnari, re-
 dargui, rescindi, infringi, retractari, aut ad
 terminos iuris reduci, seu aduersus illas
 aperitionis oris, restitutionis in integrum,
 aliudue quodcumque iuris, facti, vel gratiæ
 remedium inentari, vel impetrari, aut im-
 petrato, vel etiam motu, scientia, & pote-
 statis plenitudine paribus concessio quem-
 piam in iudicio, vel extra illud vii, seu se-
 iuuare posse, sed ipsas presentes litteras
 semper & perpetuò firmas, validas, & effi-
 caces existere & fore, suosque plenarios, &
 integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis
 ad quos spectat, & pro tempore quando-
 cumque spectabit plenissimè suffragari, sic-
 que, & non aliter in præmissis per quos-
 cumque Indices ordinarios, & delegatos
 etiam Causarum Palatii Apostolici Audito-
 res; ac S. R. E. Cardinales etiam de latere
 Legatos, & alios quoslibet quauis auctori-
 tate, & potestate fungentes, & functuros,
 sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter
 iudicandi, & interpretandi facultate & au-
 thoritate iudicari, & definiri debere, ac irri-
 tum, & inane, si secus super his à quoquam
 quauis auctoritate scienter, vel ignoranter
 contigerit attentari.

S. 10.

§ 10. Non obstantibus d. Innocentij
 Prædecessoris litteris, necnon omnibus, &
 singulis illis, quæ memorati Gregorius XIV
 ac Paulus V. & Innocentius Prædecessores
 voluerunt in suis, & nos voluimus in no-
 stris respectiue litteris præfatis non obsta-
 re, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§ 11. Volumus autem vt earundem
 præsentium litterarum transumptis, seu
 exemplis etiam impressis manu alicuius
 Notarij publici, vel Secretarij d. Societa-
 tis subscriptis, & sigillo Præpositi, vel Vi-
 carij Generalis eiusdem Societatis, aut ali-
 cuius personæ in Ecclesiastica dignitate
 constitutæ munitis, eadem prorsus fides in
 iudicio & extra adhibeatur, quæ præsen-
 tibus ipsis adhiberetur, si forent exhibita,
 vel ostensa. Datum Romæ apud S. Ma-
 riam Maiorem sub annulo Piscatoris die
 prima Ianuarij 1663. Pontificatus Nostri
 Anno octauo.

S. Vgolinus.

Loco † annuli Piscatoris.

ROMÆ, Ex Typographia R. Cam. Ap.
 MDCLXIII.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

S. V. G. L. I. N. U. S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



eo

